

tera novis augere atque perficere studeat. Ubi enim de problematicis existentia, natura, remedio penitus dissentiat, secundum alia et alia principia iudicatur; et ubi ipsa principia in conclusiones adeo oppositas conducant, non de nova quadam et superaddenda perfectione sed de ipsis substantialibus atque veteribus rite intelligendis potius agitur.

Sexto, remanet ut brevissime ille motus consideretur qui ex obiecto immanenter producto in obiectum ut finem procedat. Iam vero cum intellectus sit voluntatem movere atque dirigere, immanenter in nobis producimus illum terminum, qui est verum intelligibile, non solum ut obiectum ut finis in vero cognoscatur sed etiam ut voluntas in ipsum finem moveatur. Qua de causa, cum obiectum theologiae ut finis primario sit ipse Deus et secundo omnia quae ad oeconomiam salutis pertineant, ideo in nobis per theologiam producit verum intelligibile, non solum ut finis intelligendo cognoscatur, sed etiam ut caritas erga Deum atque proximum spiretur. Sicut enim non sola fide iustificatur homo, sed ea fide quae per caritatem operatur, ita non sola theologia perficitur homo, sed ea theologia quae caritatem profundius spirat et efficacius illuminat.

Qua in motione, cum vehementius imprimat primum agens quam secundarium, pluris omnino valent gratuita Dei dona quam ea quae consequenter sunt in hominis potestate. Attamen sicut et ille graviter erraret, qui ita omnia ex Deo expectaret ut ipse ad modum servi inutilis nihil prorsus facere vellet, ita etiam quietismus intellectualis est reprehendendus. Si enim theologorum maximus ad finem vitae experiendo novit quanto maius sit donum Dei quam opus theologicum, etiam meminisse iuvat S. Teresiam utiliora iudicasse veri theologi quam sancti sacerdotis consilia. Quae cum ita sint, ne theologiam spernamus quia alia et perfectiora inveniantur ipsa Dei dona; sed potius illud faciamus quod nunc exigitur ut ad maiora praeparati inveniamur. Sicut enim et caeterae paenitentiae, ita etiam theologia nos a sensibilibus retrahit ut spiritu augeamur atque confortemur.

Proinde, cum brevitatis causa theologiam ut sapientiam seu scientiarum reginam non consideravimus, idem aspectus etiam nunc omittendus est. Qui tamen, uti patet, summi momenti est tum ut totus intellectus et, per consequens, tota cultura Christo captivetur tum specialiter ad eum motum di-

secundum illud: « finis quidem universi est aliquod bonum, in ipso existens, scilicet ordo ipsius universi »²⁷.

Praeterea, angeli ordinantur et inter se et relate ad caeteras creaturas²⁸.

Praeterea, perficiuntur homines haec in vita non solum per bona particularia, quae singuli appetunt atque prosequuntur, sed etiam per unitatem ordinis tum domesticam tum oeconomicam tum politicam tum socialem, quam multi qua multi eo vehementius appetunt, quo clarius rerum causas perspiciunt et ab errore individualismi exaggerati recedunt.

Praeterea, cum singuli homines multis partibus constent, etiam multae haec partes qua multae in propriam perfectionem tendunt. Et ideo inter bona corporalia maxima recensetur sanitas quae est dispositio secundum rectum ordinem partium tum inter se tum ad totum hominem; et similiter inter bona spiritualia maxima quaedam recensetur iustitia illa interna, ad quam supernaturalis iustificatio terminatur, quae est relictudo quaedam ordinis, prout supremum hominis subditur Deo et inferiores vires animae subduntur supremae, scilicet rationi²⁹.

Quibus perspectis, procul dubio concludendum videtur duplicem esse perfectionis rationem, cum entia singula qui singula ad finem et perfectionem per actum pertingant, et eadem entia multa qua multa per unitatem ordinis perficiantur.

Tertio, secundum rationem perfectionis quae ex actu desumitur, divina substantia est perfectionem infinita.

Nam divina substantia est actus purus sine ulla potentiae admixtione. Sed unumquodque limitatur per potentiam, et per actum perficitur. Ergo divina substantia, propter actum, est perfecta et, propter negatam potentiam, est perfectione infinita.

Quarto, in divinis relationibus simul sumptis verificatur ratio perfectionis quae ex unitate ordinis desumitur.

Nam ratio perfectionis quae ex unitate ordinis desumitur in eo consistit quod multa ita inter se ordinantur ut unum ordine constituent.

Atqui in divinis relationibus verificatur mutua illa ordinatio quae unum ordine facit.

²⁷ *Ibid.*, q. 103, a. 2 ad 3m.

²⁸ *Ibid.*, qq. 108 ss.

²⁹ *Ibid.*, I-II, q. 113, a. 1.

videtur

#

tifica rerum cognitio, et ideo argumenta nobis maxime certa ex hac communi cognitione incipiunt ut remotiora nobisque obscuriora demonstrant.

Cum vero scientia sit, non tantum causarum cognitio, sed rerum per causas intelligentia, primo motui scientifico accedit alter quo ex causis inventis incipitur et ad res in causis intellectas terminatur; qui quidem motus dicitur et 1) *synthesis*, quia rationes fundamentales adhibentur tum ad res definiendas tum ad proprietates earum deducendas, et 2) *via compositionis*, quia causae adhibentur ad res producendas vel constituendas, et 3) *via doctrinae seu disciplinae*, quia ex conceptibus fundamentalibus et maxime simplicibus incipit ut, aliis pedetentim adiunctis, ad intelligentiam totius scientiae ordinate procedat.

Quorum exempla qui quaerit, inter se comparet historiam scientiarum physicae vel chimicae et manuale quoddam quo talis scientia docetur. Nam ex historia constat has scientias ex sensibilibus initium sumere, in sensibilibus examinandis proficere, de sensibilibus quam maxime manifestis probationes efficere. Et tamen si manuales libros adeas, aliud non invenis initium nisi tabulam elementorum periodicam unde tercentena millia compositorum derivantur vel, apud physicos, leges motus Newtonianas, geometriam quandam Riemannianam, virosque « quantorum » operatores. Qui enim inquirit vel investigat vel probat, ex manifestis incipit; qui autem docet, ex iis incipit conceptibus quorum intelligentia intelligentiam aliorum non praesupponit.

Cui duplici motui accedit tertius. Non enim semel pro semper persequitur duplex motus supra descriptus sed vicibus repetitis. Neque idem duplex motus repetitur, sed qui tempore posteriores investigant, remotiores atque veriores inveniunt causas, unde et primus motus anterior corrigitur et alter motus anterior interdum reformatur penitus. Quae cum ita sint, tertius quem diximus motus scientificus nihil est aliud quam ipsa scientiarum historia, quae unitate sua concreta totam eorum successionem comprehendit, quae saeculorum decursa sive in via resolutionis sunt inventa sive in via compositionis ordinate sunt docta.

Iam vero sicut theologia ipsa analogice se habet ad scientias naturales, ita ad triplicem scientiae naturalis motum analogus invenitur triplex motus theologicus.

#/5/

2/
2/#/